

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Interno Spiritus Sancti Testimonio

Hölzlein, Johann Lorenz

Carols-Ruh, 1721

[urn:nbn:de:bsz:31-4385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-4385)

DE INTERNO
SPIRITUS SANCTI
TESTIMONIO,

QUOD
PUBLICIS ECCLESIAE MINISTRIS,

Ut de
Vocationis divinitate,
Doctrinae veritate,
Vitae pietate
certiores reddantur,
maximè salutiferum, necessarium est,

circa hoc
DIVUM SPIRITUS SANCTI FESTUM
PLUR. REVERENDIS DOMINIS COLLEGIS,
quos Dioecesis Pforzhemensis sistit,
in Conventu Synodali
Pforzhemiae die X. Junii denuò celebrando
mentem suam theologicam
alterius explicabit

Prot-Ecclesiastes,
JO. LAUR. HOELZLEIN.



CAROLS-RUH,
Typis Andreæ Jacobi Maschenbaueri, Typogr. Aul. 1721.



Multa, eaque varia, Spectatissimi Domini Commili-
 tones, hoc ipso S. Pentecostæ Festo ad alios dixistis verba, protuli-
 stis argumenta. Et, quod vestræ omninò incumbit curæ, procul
 dubio etiam in auditorio vobis concredito, instituistis examen,
 quærendo: Ἐἰ πνεῦμα ἄγιον ἐλάβετε;
 Ut impium sane foret, de vobis si dubitare quis vellet, quin & pro-
 pria æternæ salutis cura impulsus, de cæta Spiritus S. in habitatione si-
 tis convicti. Interim si non lubricis, quas fallax suadet philantia, blanditiis, spem i-
 stam superstructam esse velimus, nostrâ profecto permagni interest, intimius perscrutari
 pectora, accuratius conscientiæ evolvere librum, &, uno verbo ut dicam, diligentius
 examinare, queis agitatur, circumstantias. Apostolis enim, quæ benedictus Salva-
 tor, de testimonio Spiritus S. interno pollicitus est, nobis etiam, istorum in officio Suc-
 cessoribus, Symmisticis, benignè promissa, intelligimus; Et quæ haud ita pridem in o-
 ratione publica, quosdam Sacerdotio inauguratos, amicè monuimus, omnibus & sin-
 gulis rite inculcanda esse, deprehendimus; Fortes in officio, certos in religione, &
 lætos in vita reddit pastores, internum Spiritus S. testimonium, Vocationis ad officium
 divinitatem, Doctrinæ, quam profitemur, veritatem, & vitæ præprimis injunctam pie-
 tatem, in corde nobis asserens. Qui enim, conscientia dubia plane nihil agendum es-
 se, alios docemus, ut ipsimet de actionum nostrarum bonitate, in certo simus positi,
 necesse, quin maximè necessarium est. Qui insuper Christianos propria carnis autorita-
 te nixos, plerumque decipi, quotidie videmus, deploramus, nobis ipsis, cognatis,
 amicis, qui rem judicare vel nolunt vel norunt, confidere minus tutum esse, facile a-
 gnoscimus. Qui tandem Spiritum S. ad τρεῖς μαρτυροῦντες meritò referendum, & testi-
 monium ejus verum esse audimus, quò magis, nisi ad hunc, in nobis de re tam ardua,
 tam utili, tam necessaria, testificantem confugiamus? Alienum planè à scopo nostro
 foret, VIRI doctissimi, si omnem de testimonio Spiritus S. interno, enucleandam sume-
 remus doctrinam; Vobis ignota haud fuit, quæ in hac & gravi & suavi materia, pro-
 ferant Systematici, quos inter præprimis, & ita quidem arridet B. Hollazii Definitio
 [v. Exam. Theolog. p. m. 129.] ut nostram facere, & ad præsens institutum eam applica-
 re nulli dubitemus, intelligentes hinc per internum Spiritus S. testimonium, actum istum
 Spiritus S. supernaturalem, quo hominem Christianum, de veritate aliqua sollicitum &
 circumstantias facti ad normam S. Scripturæ attentè examinantem, ita convincit, ut ex
 internis motibus spiritualibus verè sentiat, hoc vel illud esse verum, atque adeo con-
 scientiam antea dubiam & fluctuantem reddat certam ac tranquillam. Nec fugit lite-
 ratos, quam, de hoc argumento, sub Præsidio D. Henr. Opitii, Christianus Gottlieb
 Koch, Kiloni Anno MDCCI. eruditè conscripserit, disputationem [cujus quidem in
 præfatione majus aliquod opus in eadem materiâ adhuc edendum, ast nobis hæcenus i-
 gnotum, pollicetur] ut totam & integram pertractationem recantare, superfluum, no-
 bis videatur. Ad objectum verò reale, in quo Ecclesiæ Minister, certus esse debet, ut
 descendamus, notandum est, primum hic occupare locum, de modo ad partes S. quò
 quis pervenerit examinationem, posuit in eo limites Scriptura S., deduxere istos consi-
 liis suis Theologi satis multi, satis eruditi, ut abundantiam magis, quam inopiam repe-
 riamus in illis, eo tamen conspirantibus, ut omnia præprimis DEO committenda, præ-
 cibus efflagitanda, media ordinaria & legitima in Ecclesia Synthetica quidem adhibenda,
 illegitima tamen, [cei extraordinaria si non semper, plerumque tamen sunt] quæ ca-
 sus obliquos appellare solent, omni studio evitanda, & demum quæcunque DEUS vel
 ordinaverit, vel permiserit, pio, patienti animo expectanda, & agnitâ DEI voluntate,
 submissè acceptanda esse, suadeant. Quæ monita quantumvis orthodoxa & Reipub-
 licæ, ponderatis etiam circumstantiis saltem politicis, maximè salubria esse, confiten-
 dum, multum tamen abest, ut observentur, quin à multis potius, qui mediis ordina-
 riis ad officium pervenire vel ob vitam ante actam, vel ob profectuum in studiis tenuita-
 tem, sibi non confidunt, aut etiam præmatura ambitionis cupiditate, venerea uxorem
 ducendi flagratione capti, decepti, aut parentum, quandoque pariter cognatorum, ne-
 scio quo impetu, certè profus irregulari, adeoque damnando, ducti, negligantur, e-

ZB

jiciantur, & conscientiarum, factis sive præposterum institutis, stigmata inurantur lethifera. Ubi si solida atque decenter instituta perscrutatione, ab ejusmodi, mercenariis solito, officium capiendi modo, nos absolverit Spiritus S. testimonium, non potest non, quin ineffabili cordis lætitia undique perfundantur, ad indefessam, in œconomia spiritali, fidem divinitus excitentur, in quacunque istis obvia tentationis plagâ mirificè confortentur, animi. Nec sufficit in hoc, quod instat atheorum seculo, pastores hanc periculosissimam evitare Charybdim, Scyllam facile, si non caute circumspiciant, incidere possent: ea enim multorum hodie est indoles, ut omnibus Ecclesiæ ministris, quicquid dicant, loquantur, scribant, præjudiciis, ex ore magistrorum haustis, adornatos, loqui, scribere, absque fundamento impudent, & sic, quum rem in nonnullis ita sese habere, quandoque offenderint, maximum Ecclesiæ inferatur damnum, ad quod vel imminuendum vel declinandum, in prudenti Christi œconomio requiritur, ut de *Θεοπρονοία* principii ex quo cognoscimus veritates theologicas, non saltem, sed de omnibus & singulis quoque tam credenda quam facienda concernentibus articulis eorumque veritate internè sit convictus. Quocunque enim concionatores publici convertant oculos, sive ad Dominum, cujus nomine verba faciunt, sive ad ipsum quod pertractare laborant argumentum, sive ad personas, cum quibus res est haud exigua, iterum iterumque resultat necessitas, internam, de objecti veritate, convictionem exoptulans, ut neque tutum, neque honestum, neque pium sit, auditorio ad veritatem thesios persuadere, quam nec ipse orator veram esse ostendit. Quo spectant, qui Psittacorum more, quem ab avis perceperunt sonum, pari accentu, paribus characteribus exprimere student, qui non nisi ex collegiis manuscriptis, libris Systematicis, postillarum, ceu dicunt, foliis, recitare didicerunt veritates. Quantumvis enim eorum usum ex Ecclesia proscribendum, cum Fanaticis nunquam videatur consultum; Sed piorum Theologorum Scripta legenda magis, relegenda, retinenda esse velimus, impium tamen, minus honestum, fraudulentum appellamus institutum, quo plagium literarium committentes sibi soli relictis, Spiritus Sancti testimonio destituti, decantant religionis capita, quæ si non ipsi negant, de illis tamen dubitant, aut si non dubitant, non nisi præoccupati assumunt. Et sequitur exinde pestilentissimum damnum, quod qui conclusiones theologicas hoc modo neque philosophico, sibi familiares reddant, facili labore, quoad intellectum flectantur, quoad voluntatem corrumpantur, & veritates theoreticas vel deserant, vel practicas destruant, quin imo ad Atheismum & Epicureismum brevi tempore, modo incitamenta convenient, delabantur. Accedit, quod bona consequentia, bono ordine concludimus, eandem esse necessitatem in publico Ecclesiæ ministro, quoad vitæ probitatem, pietatem; Ut enim taceam, hanc vitæ innocentiam maximè prodesse publico, promovere incrementum Ecclesiæ, inservire gloriæ DEI, ut silentio nunc involvam, quam maximè atheorum numerus, impia pastorum accrescat vita, quam vehementer fidelium animæ, ministrorum enormitate perturbentur, crucientur, quam miserè officium pastorale, inverso quidem argumentandi ordine, indignis ejusmodi sociis illudatur, impediatur! hoc unicum dixisse liceat, miserum esse, & quod probatu facile, ex omnibus reliquum creaturis miserrimum, pastorem qui non vitæ puritati studet, & isto de studio interno Spiritus S. testimonio vincitur; Vana est istorum fides & nec referendi sunt ad istos de quibus Paulus, quod solum in hac vita in Christo sperent, dicit. Dantur proh dolor! Clerici, qui à laicis sæpe in honestate externa vincuntur, qui sæpius inebriantur quam rustici, qui magis impia, vel in DEum vel in proximum jaciunt verba, quam milites, qui plus delectantur mundanis quam aulici; Dantur etiam qui ad externam quidem regulam mores accommodant, vera tamen sanctitate, quæ ex fide provenit, destituuntur, & obliviscuntur prorsus, quod aliis Christianis factis æque ac verbis exemplo esse, sicque verborum ponderatione, precum devotione, amoris erga proximum declaratione prælucere debeant, & nihilominus fidos, pios pastores esse, sibi persuadent; Qua temeraria persuasione ne dolosè corrumpamur, subveniat nobis Spiritus S. testimonium necesse est. Animus non est, ad vos in specie, Fratres Dilectissimi! nunc applicando respicere, precamur, rogamus, adhortamur potius omnes & singulos, ubicunque terrarum degant, ovili Salvatoris præpositos, quod si in vocationis opere regulas theologicas plus æquò sepositas fuisse, arguantur conscientia, istud quoque peccatum haud ita leve, ut seria agnoscant poenitentia, aliis qui consilia, adminicula suggerere gavisi sunt, morsum animi indicent, & ad parem Polypragmosynes agnitionem eos convertere nitantur, in officio subinde,
quod

quod cæteris paribus, ob ingressus irregularitatem, ultrò deferere, suadendum non est, eo majori industria, dexteritate, prudentia sese exhibeant, & tandem, si DEUS tardus, quidem sed justus mali vindex, judex, eodem quo illi ipsi usi sunt, in celo scilicet ordine malèvolentia hominum cum istis agi, velit permittere, aut si mala etiam fama, corporis, animi, pro sapientia sua, immittere statueret, judicia DEI agnoscant, pœnitenti pectore suscipiant, æquo animo ferant. Et quod si, [quo secunda parte deducimur,] non nisi præjudiciis autoritatis adductos, veritates religionis, adeoque fide saltem humana credidisse, invenerint; Primò veritates in ipso Scripturæ canone clavis & perspicuis verbis prolatas, textum originalem inspiciendo, contextum conferendo & circumstantiarum rationem habendo, indefesso studio scrutentur; Theses secundo, theologicas in libris Symbolicis, Systematicis & Polemicis ab Ecclesia nostra receptas, accuratius paulò evolvant, ad Scripturæ trutinam reducant, & demum adversariorum etiam oppositiones audiant, hæc omnia tamen non nisi devotis precibus, piaque sapientiam addiscendi intentione accédant, sic certè Spiritus S. virtute sua divina verbo communicata, corda illorum pulsabit, aperiet, illuminabit & ad assensum flectet divinam, ut quæ docent, verè divinas veritates esse internis motibus convicti affirmare queant. Quod si, ut ultimam adjiciam applicationem, demum vel commissione mali vel omissione boni, nonnulli hæctenus *ἀνομιαν* perpetraverint, secum quæso habitent, communia, queis ad pœnitentiam excitamus alios, considerent argumenta, singulares, quæ officii ratio suppeditat, ponderent circumstantias & sic pietate, sanctitate, innocentia superare Laicos ardentè studeant, in memoriam revocantes aurea, quæ sub prima statim receptione fuere prælecta verba: *Diemeil ein Prediger durch die Ordination oder Hand-Auslegung von andern gemeinen Leuten abgefordert / und dem H. E. R. M. und Seinem Dienst zu eigen gegeben wird / so soll er auch billich in Sitten und Gebården der Welt und ihrer Eitelkeit sich gånzlich entschlagen zc. und immerdar sich zu Gemüthe führen / daß er ein Exempel der Zuhörer seyn solle / 1. Petr. V.*

Nos amandissimi Domini Condiscipuli, hæc omnia, quæ fraternus amor monere jussit, cordibus inscribentes, memoria tenentes, per omnem vitam applicantes, impleti nunc Spiritu S., perreçturi sumus proximè die Junii X. ejusdem gratia adjuti, in Festo ordinis nostri anniversario, de hoc argumento disserere. Hora enim antemeridiam septima congregati in ædibus sacris monebimur à Pl. Rev. Dn. Nicol. Steib, Past. Eitingensium hand indigno, à 9. ad 12. discutiemus argumenta, quæ admodum Rev. Dn. Joh. Wolfgang Bader, Langensteinbacensium Pastori nunc responsuro, per Rev. Dni. opponentes Rabus, Bajerbach, Griesbach objicient contra Theses sequentes:

THESIS I.

Dari Spiritus S. testimonium internum veritates Theologicas in nobis affirmans, probatur imprimis ex 1. Joh. V. v. 6., quod notandum tam contra eos, qui ex pontificiis istud testimonium partim negant, partim illi externum quoque Ecclesiæ testimonium associant, quam contra Socinianos, Arminianos, aliosque à B. Gerharo, Feuerb. rno &c. refutatos.

Vid. Joh. Ad. Osiandri Syst. Theolog. Exercit. XV. & XVI. p. 265 seqq.

THESIS II.

Actio hæc, quam testimonium internum appellamus, mentes nostras afficiens, secundum quosdam describitur per *Φωνισμὸν* 1. Cor. IV. v. 6. per *δυναμὸν*, ibid. IV. per *ἐπιφάνειαν* Eph. V. v. 4. & à verbo planè non est separanda; Quod contra Anabaptistas, Schwencfeldianos, Libertinos, Weigelianos & alios hujus furfuris homines tenendum.

Vid. Osiandr. l. cit. nec legisse pœnitebit Porstensi Prüfung der Inspirirten / Berlin 1715:

THESIS III.

Ista quorundam persuasio, quod in rebus fidei divinum quoddam lumen immediatum acceperint, non est testimonium Spiritus S. internum, sed Enthusiasmus potius & Fanaticismus ex ambitione, quæ ex affectata pietate gloriam captat, sæpe etiam ex forti & pertinaci imaginatione seu melancholia species suppeditante, seu atrabile vel aliis fictis causis orta.

V. Jegeri Theol. Myst. p. 347.

THESIS IV.

Impii quantumvis testimonio Spiritus S. interno destituti sint, notitia tamen istorum Theologica ex Scripturis hausta, eidem conformis in re naturalis & carnalis dici nequit, ut potius Spiritum S. per Scripturam ad eam pariter notitiam influere concedendum sit.

V. Schelwigii Synops. Controv. p. 4.

Quæ ut feliciter fiant D. T. O. M. supplex veneror; Scribens hæc è Museo Carolotiano

Vto ante Calendas Junii A. O. R. M. DCC. XXI.

